

minem vero diaboli suggestione peccasse: quibus Nicænus Articulus, & visibilium omnium, & invisibilium factorem, à Symbolo CP. contra Manichæos additione particularium Cæli, & Terræ jam explicatus, amplius declaratur. Secundo contra ipsorum de Eucharistia errorem docetur: Corpus, & Sanguinem Christi in Sacramento Altaris sub speciebus panis, & vini veraciter contineri, pane in Corpus, & vino in Sanguinem potestate divina transsubstantiatis. Tertio contra ipsorum errorem de Baptismo infantium traditur: Sacramentum baptismi tam parvulis, quam adultis professe ad salutem. Quarto contra ipsorum errorem, quo nuptias damnabant, asseritur: Non solum virgines, & continentis, verum etiam conjugatos per rectam fidem, & operationem bonam placentes Deo, ad beatitudinem æternam pervenire. Denique in subjunctis anathematismis damnatur error Abbatis Joachimi, negantis unitatem essentia trium Personarum esse veram, realem, & simplicem, sed tantum similitudinariam, & collectivam; non tamen ipse, ut qui scripta sua Sedis Apostolicæ iudicio subiecit, uti testatur ipse Innocentius in eodem de fide tractatu c. 2. Finaliter tandem condemnatur perversissimum dogma impii Almarici, & cuius mentem (ut ibidem loquitur Pontifex) sic Pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica, quam insana sit dicenda.

219. Huic Symbolo, ad exemplum Nicæni, & eadem, qua ibi, de causa, ob astutas nimium Novatorum locutiones, inserta est transsubstantiationis particula, quæ, sicut vox *Homoussion*, non nisi sensu in facris Litteris expressa reperitur; aptissima nihilominus est ad retundendas Hæreses tam circa realem Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini præsentiam, quales olim fuere Berengariana, & Albigensium, & nostris sæcu-

lis Calviniana; quam etiam circa modum, quo ibi reperiuntur, quales sunt Ubiquitarum, & Impanatorum ex secta Lutherana.

220. Notandum tamen est, voculam *Transsubstantiationis* non esse à Concilio Lateranensi, seu ab Innocentio III. ad configendum Albigensium circa Eucharistiam errorem inventam; reperitur enim jam expressa in illa professione fidei, quam Berengarius Hæresiarcha in secunda Synodo Romæ a. c. 1079. mense Februario sub Gregorio VII. contra ipsum celebrata deponere debuit; & ita sonat: *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem, & vinum, que ponuntur in Altari, per mysterium sacre Orationis, & verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram, & propriam, ac vivificantem carnem, & sanguinem Jesu Christi, &c.* Quem proinde Pontificem fidei Catholicæ non minus, quam Ecclesiasticæ libertatis defensorem acerrimum moderni Protestantæ, ceu hæc barbara ac impia (ut ajunt) voce Idololatricæ in Christianum orbem Invectorum, non secus ac olim Ariani Magnum illud Athanasium vocis *Homoussion* prodigiosum defensorem, cane pejus ac angue odiunt, calumniis infinitis proficiunt, ac ceu *Titionem infernalem* ex calumniosa etymologia nominis, quod ante Pontificatum gessit *Hildebrandi* (1) diris omnibus devovent. Nec sine causa; non enim minus *transsubstantiationis* vocabulum *columna est ac cyppus*, ut cum Athanasio supra citato loquar, *quo illorum impietas proferibitur, ac velut trophæum de ea superata, prostrataque statuitur*; quam olim vox *Homoussion* contra Arianos: cum & hujus vocis non minus, quam illius exquilita sit ratio, omnes eorumdem argutias, quibus simplices circa hoc augustissimum mysterium fallunt, excludens. Sed rem quæstione polemica penitus disquiramus.

QUÆS-

QUÆSTIO POLEMICA.

Utrum transsubstantiationis vocula apposita, & prudenter inserta fuerit Symbolo Lateranensi?

221. **I**N hæc Quæstione fidem §. III. N. 76. datam librabimus, Novatoribus nostri temporis monstraturi, Concilium Lateranense *transsubstantiationis* vocem eadem autoritate, eadem necessitate, eodem consilio, eodemque invicto fundamento Symbolo suo inseruisse, vel potius prius jam usurpatam adoptasse, quo Patres Nicæni suo Symbolo addidere vocem *Homoussion*; & consequenter tela Protestantium in hoc Concilium vibrata, etiam petere Synodum Nicenam.

222. Ut autem in hac momentosa quæstione dilucide, & succincte procedamus, præliminariter observandum est primo: Novatores nostri temporis contra additionem hujus particulae non ex duplici fundamento, quemadmodum Græci in Concilio Florentino (ut infra videbimus) contra additionem particulae *Filioque* debacchari; videlicet quod & particula ipsa sit erronea, & dato etiam, quod sit Catholica; ea tamen non fuerit licite addita, ob decreta Conciliorum Sardicensis, Ephesini, & Chalcedonensis, additiones Symbolo Nicæno fieri prohibentia, ut pariter infra videbimus; sic enim suo se telo confoderent, additionem particulae *Filioque* Symbolo CP. factam recipientes. Sed cardo quærelæ illorum in hoc solo versatur, quod dicta particula sit erronea, & idololatricæ in Ecclesiam Christi inveciva.

223. Observandum secundo, quod, supposita de transsubstantiationis dogmate veritate, Ecclesia eam necessitatem habuerit hanc vocem Symbolo inferendi, quam habuit Concilium Nicænum circa inferendam vocem *Homoussion*, ex supposito, quod vox ista catholica fuerit; non enim minus Catholici, gliscente Hæresi

Berengariana, muniendi erant tessera contra hujus Hæresiarchæ astutas locutiones, quam muniendi fuerint, dum Hæresis Ariana tunicam Christi discinderet.

224. Quapropter, neglectis promissionis factæ membris primis, videlicet, quod Concilium Lateranense eadem *authoritate, eadem necessitate, eodemque consilio* Symbolo suo inseruerunt *transsubstantiationis* particulam, qua autoritate, necessitate Nicænum suo inseruit to *Homoussion*, solum probabimus id ab eo factum eodem invicto fundamento, quo id ipsum factum est à Concilio Nicæno. Hoc enim evicto, causa contra Protestantes lucrata erit.

PROPOSITIO.

Patres Concilii Lateranensis apposite, & prudenter transsubstantiationis vocabulum suo Symbolo inseruerunt.

225. **P**Robatur eadem ratione, qua supra §. III. N. 80. de voce *Homoussion*. Vocabulum, quod versutias Sacramentariorum in explicandis verbis institutionis Eucharisticæ: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*: simulque omnes eorumdem errores circa hoc augustissimum Sacramentum accurate excludit, nullamque profus æquivoocationis ambagem iisdem relinquit, simulque plane ac nitide Catholicam fidem circa Eucharistiam exponit, quodque propterea ad omnes circa illam hæreses labefactandas plurimum valet, apposite & prudenter ab Innocentio III. & Patribus Concilii Lateranensis Symbolo est insertum: sed *transsubstantiationis* vocabulum hæc omnia præstat: ergo prudenter, & apposite est insertum Symbolo Lateranensi. M. pater; nam ex his momentis supra cum antiquis Patribus, Nicæne Synodi vindicibus, sustinimus vocem *Homoussion* apposite, & prudenter Symbolo Nicæno esse insertam. Mi. vero probatur quoad singula membra: & primo quantum ad primum, quod sci-

licet

(1) HOLLENBRAND.

licet hoc vocabulum veritas Sacramentarium in explicandis verbis Institutionis Eucharistiae, omnesque eorum errores circa hoc augustissimum Sacramentum accurate excludat. Ex Sacramentariis Berengarius, Calvinus, eorumque gregales verba institutionis Eucharistiae dicunt figurate accipienda; Bucerus, & cum eo Lutherus in concordia Wittenbergenfi a. c. 1526. eorumque sequaces asserunt, ea primum in *sumptione* literaliter verificari. Idemque Lutherus a. 1528. in libro Confessionis de cæna magna Domini contra Zwinglium, & Oecolampadium edito docet, Corpus & Sanguinem Christi esse in Eucharistia cum pane & vino his verbis: *In Sacramento Corpus & Sanguis Christi sunt, ubi panis, & vinum sunt, quæ immutata manent*; ac tandem ubiunitatem Corpori Christi affigit, & per absurdum illud, & erroneum dogma Sacramentalem Christi præsentiam in quovis pane Eucharistico probat: sed has eorum veritates in explicandis verbis institutionis Eucharistiae, hosque illorum errores circa hoc augustissimum Sacramentum accurate excludit *transubstantiationis* vox: ergo præstat, quod dictum est membro primo. P. m. transubstantiatio in omnium sensu idem significat, quod substantiæ unius in aliam mutatio. Jam sic: Si per verba consecrationis panis & vinum transubstantiantur, ut loquitur Concilium Lateranense, in Corpus, & Sanguinem Christi: ergo per eadem verba substantia panis & vini mutantur in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi, & consequenter contra Calvinum verba institutionis Eucharistiae non sunt figurate intelligenda. Iterum, si per ipsa verba consecrationis hoc fit: ergo contra primum Lutheri errorem non verificantur primo in ipsa sumptione, quæ fit consecratione jam peracta. Item in fumum abeunt secundus, & tertius error; nam si panis, & vinum transubstantiantur in Corpus, & Sanguinem Christi, sive si illorum substantia mutantur in substantiam horum: ergo

non manent immutata: & si ante verba consecrationis in altari est substantia panis & vini, & per verba consecrationis loco illius ibidem ponitur Corpus, & Sanguis Christi: ergo Corpus, & Sanguis Christi antea ibi non fuit: ergo non est ubique, consequenter nec in Eucharistia per ubiunitatem; & ita transubstantiationis vocula has hæreticorum veritates in explicandis verbis institutionis Eucharistiae, hosque illorum errores circa hoc augustissimum Sacramentum accurate excludit.

226. Dices cum adversariis: Sequelas has omnes omnino veras futuras, si id, unde sequuntur, verum sit; atqui falsum est, quod vi verborum institutionis Eucharistiae panis, & vinum transubstantiantur: ergo & sequelæ inde deductæ sua sponte corruunt.

227. Ante replicam observa, quod quamvis præter hanc objectionem adhuc ex aliis duobus capitibus Patres Lateranenses ob factum præsens additamentum incitari possent, videlicet, quod vocem in Scriptura nusquam expressam Symbolo addiderint, id, quod urgebant Ariani contra Catholicos post Synodum Nicænam; & quod insuper hac additione contra decreta veterum Conciliorum peccaverint, id, quod Græci Latinis in Synodo Florentina opponerant; quia tamen Protestantes, cum quibus in præsentem confingimus, hanc antecessorum suorum crambem recoquere non audent, cum ipsi in suis Symbolis utraque voce, videlicet, tam *Homouſion*, quam *Filioque*, utantur, & ipso usu factam earundem additionem iustificent; hanc solam intersectionem hac apposui, qua solide, uti spero, resutata, nobiscum fateantur, Patres Lateranenses apposite, & prudenter Symbolo *transubstantiationis* vocabulum inseruisse.

228. Antequam autem replica ponatur, & per illam secundum membrum principalis minoris demonstretur, videlicet, quod illa vox plane an *nisi de fide Catholicam, & Apostolicam* circa Eucharistiam exponat,

229. Observa II. nos in ea deducenda pressuros esse vestigia illorum veterum Patrum, Athanasii videlicet, Hilarii, & aliorum, qui vocem *Homouſion* à calumniis Arianorum vindicarunt; & sicut illi *Consubstantialitatem* Filii cum Patre, de promptis ex Scripturis sacris testimoniis, probant, sacrorum autem eloquiorum genuinam intelligentiam ex Catholica Ecclesia, & Sanctorum Patrum continuo ab Apostolorum tempore usitato sensu eruerunt: ita & nos impræsentiarum facturi sumus; quia stabilito hoc argumento in materia facti, qualis est, an Christus ita instituerit hoc Sacramentum, quemadmodum voce *transubstantiationis* exprimitur, & qualiter omnipotens Deus, cujus vigor limites nostre rationis longe excedit, instituire potuit; omnis subtilitatum, & argutarum farrago, quem adversarii, rationis decempe data cuncta metientes, congerunt, sponte sua corruet.

230. Contra est ergo, & probatur secundum membrum principalis minoris. Christus potuit hoc Sacramentum ita instituire, quemadmodum voce transubstantiationis exprimitur, & de facto illud ita instituit: ergo hæc particula Catholicam fidem circa Eucharistiam plane, ac nitide explicat. Si quis audeat negare primam partem A. huic incidenter replico, Deum posse plura facere, quam ille nascutus possit capere, & eundem ad S. Th. amando, ubi videbit apparentes contradictiones, quæ ex Catholico dogmate sequi videntur, funditus evacuat. Mihi in præsentem rem cum Novatoribus illis habenti, qui omnes nervos intendunt, ut probent veterem universam Ecclesiam verba institutionis huius Sacramenti in sensu contrario *transubstantiationis* accepisse, asserenda est Antec. pars posterior, quam sic proba. Institutio huius Sacramenti dijudicanda est ex verbis institutionis; sed verba institutionis huius Sacramenti significant id, quod voce *transubstantiationis* exprimitur: ergo Christus de facto illud ita instituit. P. m. verba insti-

titutionis huius Sacramenti sunt ista: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus* sed hæc significant id, quod voce *transubstantiationis* exprimitur: ergo. P. m. verba Sacre Scripturæ in eo sensu accipienda sunt, in quo illa semper, & ubique accepit Catholica Christi Ecclesia; sed Catholica Ecclesia prædicta verba semper, & ubique accepit in eo sensu, qui *transubstantiationis* vocula exprimitur: ergo. P. m. Quo sensu Catholica Ecclesia semper, & ubique accepit præfata verba institutionis Eucharistiae aliunde probari nequit, quam ex testimoniis Patrum omnium Ecclesiarum sæculorum, ex Conciliis, & ex consensu Ecclesiarum; sed ex his omnibus constat Catholicam Ecclesiam semper, & ubique verba institutionis Eucharistiae in eo sensu accepisse, qui *transubstantiationis* vocula exprimitur: ergo. M. constat; minor, in qua cardo præsentis controverſiæ vertitur, & quam proterve negant Sacramentarii, operosius jam est probanda, adducendo testimonia Patrum, Conciliorum, & consensum Ecclesiarum circa transubstantiationis dogma omnium Christianæ æræ sæculorum, quod ordine chronologico præstabitur.

231. Itaque I. Presbyteri & Diaconi Achazæ de passione S. Andreæ Apostoli, cui præsentem adſuerant, a. c. 59. Neronis 6. encyclicam ad universas Ecclesias scripserunt Epistolam, in qua illum *Ægææ* hæc respondisse scribunt: *Ego omnipotenti Deo, qui unus, & verus est, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatam Agnam in altari, cujus carnem posteaquam omnis populus credentium manducaverit, agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat ac vivus.*

Scio heterodoxos criticos hoc momentosum antiquitatis monumentum, quia tam evidenter catholico dogmati non tantum de transubstantiatione, sed etiam de Missæ Sacrificio favet, ex levissimis quibusdam conjecturis rejicere inter apocryphas

pha; sed solide à nostris refelluntur. Videatur Nat. Alex. hist. Eccl. sæc. 1. a. 10. En testem primi sæculi, & quidem Apostolum.

232. II. S. Ignatius Martyr, qui a. c. 71. floruit, in genuina ad Smyrnæos epistola hæc habet: *Eucharistia & oblationes non admittunt* (videlicet hæretici sui temporis) *eo quod non consistantur Eucharistiam carnem esse Servatoris nostri J. C., que pro peccatis nostris passa est, quamque Pater benignitate sua excitavit. En testem pariter primi sæculi, Apostolorum discipulum.*

233. III. S. Justinus Martyr, qui 50. annis post mortem S. Joannis Evangel. seu a. 150. floruit, in sua *Apologia* Antonino Pio pro Christianis oblata edit. Col. de a. 1680. pag. 98. ita habet: *Non enim ad communem panem, neque communem potum ista sumimus* (videlicet species) *sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus J. C. Servator noster, & carnem & sanguinem salutis nostre causa habuit: ad eundem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus, ab ipso profecti, gratia sunt actæ, alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, Incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse edocli sumus. Nam Apostoli in commentariis à se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Jesum. Eum enim pane accepto, cum gratia egisset, dixisse: Hoc facite in mei recordationem: Hoc est corpus meum. Et poculo similiter accepto, & gratis actis, dixisse: Hic est sanguis meus, ac solis ipsi ea tradidisse. En testem secundi sæculi de fide Ecclesiæ hujus sæculi circa Eucharistiam coram orbis Principe simpliciter exposita.*

234. IV. S. Irenæus Discipulus S. Polycarpi, qui a. c. 180. floruit, lib. 4. c. 34. in cit. edit. pag. 237. hæc habet: *Igitur Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum Sacrificium reputatum est apud Deum:*

— *quomodo autem constabit eis* (Hæreticis) *eum panem, in quo gratia actæ sint, Corpus esse Domini sui, & calicem Sanguinis ejus, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant?* — *quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, que à Corpore & Sanguine Domini alitur? ergo aut sententiam mutant, aut abstant offerendo, quæ prædicta sunt. Nostra autem consonans est sententia Eucharistia, & Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram, videlicet de resurrectione ex mortuis, quam non tantum ille, sed etiam alii post ipsum Patres ex reali contactu carnis nostræ cum carne vivifica Christi in Eucharistia contra Hæreticos probarunt: quorum argumenta, si figurate cum Calvino locuti fuissent, omnino nulla essent. Confirmat suam sententiam his verbis: Quemadmodum enim qui est à terra panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & celestis: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Amabo, quæ est ista res cœlestis, qua, secundum Irenæum, præter terrestrem post invocationem constat Eucharistia, si illa est nudus panis, cum denominatione extrinsecæ typi? Et eodem lib. 4. c. 32. dicit, Christum Apostolis asseverasse panem esse proprium Corpus suum, & calicem proprium Sanguinem; ita enim habet de verbo ad verbum textus græcus; quo estigua Heterodoxorum prolus amputantur. En ergo pariter testem secundi sæculi.*

235. V. S. Cyprianus, qui sæculo tertio seu circa a. c. 250. floruit, libro de Oratione Dominica, explicans illam petitionem: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, ita habet: *Quando ergo dicit in æternum vivere, si quis ederet de ejus pane; ut manifestum est eos vivere, qui corpus ejus NB. attingunt, & Eucharistiam jure communicationis accipiunt: ita*

con-

contra timendum est, & orandum, ne dum quis abstinens NB. separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute. Secundum Cyprianum Fideles communicantes attingunt Corpus Christi, non communicantes ab eo separantur; secundum Berengarium attingunt, & separantur tantum à figura corporis ejus. En ergo testem sæculi tertii contra eum.

236. VI. S. Hilarius Pictaviensis in Gallia Episcopus, qui circa a. c. 355. floruit, lib. 8. de Trinitate cit. edit. pag. 48. col. 2. ita habet: *Ipse* (Christus) *ait: Caro mea vere est esca, & Sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis, & sanguinis non est relictu ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra vere caro est, & vere sanguis est. En testem quarti Sæculi pro fide Catholica Ecclesiæ sui Sæculi.*

237. VII. S. Cyrillus Hierosolymitanus, qui circa annum 365. floruit, *Catechesi* 22. recentissima edit. Parisiensis N. 3. ita habet: *Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilææ transmutavit: & eum parum dignum existimabimus, cui credamus, cum vinum in sanguinem transmutavit? Et N. 9. ita: Isthæc edocli, & certissima imbutus fide, quod, qui videtur panis, panis non est, tametsi gustu sensibilis sit, sed Corpus Christi: & quod videtur vinum, vinum non est, etiamsi ita gustui videatur, sed Sanguis Christi. Alifine quæcumque catholice Cyrillus, si nunc quæcumque catholice plebem circa hoc augustissimum Eucharistiæ Sacramentum catechizare deberet? En ergo pariter testem quarti Sæculi circa fidem Eucharistiæ in Ecclesiâ Hierosolymitana omnium matre.*

238. VIII. S. Gregorius Nyssenus, qui circa a. c. 380. floruit, in *oratione Catechetica* c. 37. edit. Col. de a. 1617. p. 383. col. 2. ita habet: *Recte ergo nunc quoque Dei verbo sanctificatum Panem*

Tom. I.

in Dei Verbi corpus credo transmutari. Etenim panis erat potestate illud corpus, — & hic similiter Panis sanctificatur per verbum Dei, & orationem — quod statim à verbo in corpus transmutatur per verbum; hoc est corpus meum. En Catechesim ad Populum Nyssenum factam, in testem fidei suæ Ecclesiæ Sæculo quarto, qui duabus voculis transmutatur, & statim non tantum figuritarum, sed etiam Imperatorum, Ubiquitarum, & eorum, qui dicunt conversionem fieri in sumptione, signenta subseruat.

239. IX. S. Epiphanius, qui circa a. c. 370. floruit, tum in *expositione fidei*, tum in *Anacephalozis* in cit. edit. pag. 298. ita habet: *Ecclesiâ tranquillis pacis portus est, & suavitas quedam vitis cyprum redolens, & botrum nobis benedictionis proferens; nec non & præstantissimum illum abstergendo merori potum, merum scilicet ac verum Christi sanguinem quotidie largiens. Paulo aliter deprehendi hunc textum in citata à me editione, sed in recentioribus, & emendatis ita habetur.*

240. X. S. Joannes Chrysostomus, qui circa a. c. 396. floruit, *Honilia* 83. in *Matth. edit. Ducai* to. 1. in novum Testam. p. 870. ita habet: *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? quis Pastor unquam propriis membris oves nutrit? & quid dico Pastores? Multæ Matres sæpe nutricibus infantes dederunt: ipse vero non ita, sed ipse nos proprio sanguine nutrit, & per omnia se nobis congruitur. Mehercle! bella comparatio S. Chrysostomi, si ipse cum sua Constantinopolitana Ecclesiâ Calviniana fuit sententia! quis Pastor oves propriis membris nutrit? sicut vos paleo Figura corporis mei? multæ Matres aliis nutricibus infantes dederunt, ipse nos Figura corporis sui nutrit? certe insullissima. Sed audiamus illum infra sic pergentem: *Non sunt humana virutis opera proposita. Qui tunc illa fecit in illa Cana, ipse & nunc**

I

hæc

haec operatur. Ministrorum vice sumus: qui vero haec sanctificat, & transmutat, ipse est. Ita confidenter Chrysol. ad populum CP.

241. XI. S. Ambrosius, qui eodem Saeculo IV. seu circa a. c. 374. floruit, de Sacramentis lib. 4. cap. 5. edit. cit. pag. 367. ita habet: Ante enim quam consecraretur, Panis est, ubi autem verba Christi acceperint, Hoc est Corpus meum, Corpus Christi est: — ipse Dominus Iesus testatur nobis, quod Corpus suum accipiamus & Sanguinem: numquid debemus de ejus fide, & testificatione dubitare? En iterum omnes errores per Ambrosium, quemadmodum supra per Gregorium Nyssenum exclusos.

242. XII. S. Hieronymus, qui Saeculo quarto circa a. c. 390. floruit, in ep. ad Heliodorum ita habet: Absit ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradus succedentes Christi Corpus sacro ore conspiciunt.

243. XIII. S. Augustinus, qui Saeculo V. circa a. c. 420. floruit, enarratione in Psalm 98. cit. edit. to. 4. pag. 1065. explicando illa verba, Adorate scabellum pedum ejus, ita habet: Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit; inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, ut non solum peccemus adorando, sed peccemus non adorando. En Ecclesia Hypocondriensis cum suo Antilitate, antequam sumeret Eucharistiam, eam adorabat Saeculo V. Nos idem facimus, Calvinistae clamant, hoc esse Idololatram. En Calvinianae sectae canitium! sed adhuc semel audiamus Doctorem Maximum, & ipsis Protestantibus venerabilem. In comment. 1. in Ps. 33. tom. cit. pag. 214. de Christo loquens ita habet: Et ferebatur in manibus suis. Hoc vero, Fratres, quomodo posse fieri in homine quis intelligat? quis enim portatur in manibus suis? manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso

David secundum literam non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum: Ferebat enim illud corpus in manibus suis. En sententiam decretoriam contra Sacramentarium errorem. En sensum figuratum rotunde exclusum. Secundum Aug. Nemo portatur in manibus suis, Christus ferebat corpus suum in manibus suis, primum insulsum est mendacium: si secundum in sensu figurato sunit Augustinus, quilibet enim imaginem suam, vel Symbolum sui potest portare in manibus suis.

244. XIV. S. Cyrillus Alexandrinus, qui circa a. 430. floruit, lib. 5. in Joan. verba Christi, nisi manducaveritis carnem filii hominis cum verbis institutionis Eucharistiae conjungens, ita habet: Quia Christus per propriam carnem in nobis est, omnino resurgemus. Incredibile enim est, imo vero impossibile, ut vita eos, in quibus fuerit, non vivificet. En iterum argumentum pro stabilienda possibilitate resurrectionis, desumptum ex eo (quemadmodum supra ex Irenaeo vidimus), quod Christus in Eucharistia per propriam carnem nobis commiscetur. O! caecos Calvinistas! Sed adhuc unum locum ex eodem sanctissimo, & nominatissimo Patriarcha debemus adducere, ut conspirationis veteris Ecclesiae cum nostra circa dogmata de transubstantiatione, & Missae Sacrificio palpemus. Idem S. Pater in anathematismi 11. contra Nestorium declaratione haec habet: Sanctum, ac vivificum, incrementumque in Ecclesiis Sacrificium peragimus: corpus, & quod proponitur, similiter & pretiosum sanguinem, non communis, nobisque similis hominis ejusmodi esse credentes, sed potius tanquam proprium corpus effectum, & sanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat accipientes. Ita ille cum Concilio à se Alexandriae habito. Quid luculentius pro utroque dogmate?

245. XV. S. Leo M. qui circa a. c. 440. floruit, in epist. 2. quam ad Cleorum, & Plebem CP. scripsit, refertur apud Coletum tom. 4. Concil. pag. 815. ita habet contra Eutichianos: In quo haec tenus desidia torpore jacere, ut nec auditu discerent, vel lectione cognoscerent, quod in Ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis veritas Corporis, & Sanguinis Christi inter communionis Sacramenta taceatur? Eutichiani veritatem carnis in Christo post resurrectionem negabant, eam à divinitate abortant asserentes: S. Leo ipsos refellit argumento ducto ab Eucharistia, in qua veritatem Corporis, & Sanguinis Christi se recipere Fideles plane infantes profitentur. En ora infantium, totaque Ecclesiam cum Capite suo visibili Saeculo quinto transubstantiationis contra puerum ducentorum annorum, Calvinianam dico Haeresim, testes.

246. XVI. S. Gregorius M. qui Saeculo sexto floruit, & initio septimi obiit, Homilia 14. in Evangelia de Christo bono Pastore in cit. edit. tom. 3. pag. 35. ita habet: Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Fecit, quod monuit, ostendit, quod iussit. Bonus Pastor pro ovibus suis animam suam posuit, ut in Sacramento nostro Corpus suum, & Sanguinem veteret, & oves, quas redemerat, carnis suae alimento satiaret. En doctrinam de transubstantiatione Saeculo sexto adhuc inconcussam.

247. XVII. S. Ilidorus Hispalensis, qui Saeculo septimo circa a. c. 630. floruit, lib. 1. de officiis Ecclesiasticis c. 15. ita habet: Haec autem duo (panis, & vinum) sunt visibilia, sanctificata tamen per Spiritum S. (mediis verbis consecrationis) in Sacramentum divini Corporis transeunt.

248. XVIII. In Synodo Nicena II. seu Oecumenica VII. celebrata saeculo VIII. seu a. c. 787. contra Iconomachos, actioe VI. relata apud Col. tom. 8. pag. 1042.

Epiphanius Diaconus Synodi pseudo-septima constitutionem, à Synodo approbatam, & ejus nomine editam legens, hanc pag. 1099. habet: Nullus enim aliquando ubarum Spiritus, Sanctorum videlicet Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum, incrementum Sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi Dei nostri, ac omnis dispensationis ejus efficitur, dixit imaginem Corporis ejus. Neque enim acceperunt à Domino sic dicere, & consiteri, sed audire evangelice dicentem eum: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c. — Et non dixit: Accipite, & comedite imaginem corporis mei; & post adductum textum Apostol. 1. ad Cor. 11. Ergo liquido demonstratum est, quod nusquam Dominus, vel Apostoli, aut Patres imaginem dixerint Sacrificium incrementum, quod per Sacerdotem offertur, sed ipsum Corpus, & ipsum Sanguinem. Et ante sanctificationis quidem consummationem, typos haec quidem quibusdam SS. Patrum pie visum est nominare; — Post sanctificationem autem, Corpus proprie ac Sanguis Christi dicuntur, sunt, & creduntur. Sane, si Saeculo octavo Ecclesia credidisset, & docuisset Eucharistiam esse figuram dumtaxat Corporis Christi, non ita abhoruissent Patres hujus Concilii à nomine imaginis eidem tribuendo, quod Iconomachi illi soli, ceteris iconibus rejectis, tribuerunt, estis ceteroquin realem Christi in Eucharistia praesentiam non negarent, ut videre est apud Nat. Alex. Saeculo VIII. dissert. 4. pag. 748. imo vero familiare fuisset hoc nomen Catholicis omnibus: & si Eucharistiam figuram credidissent, sola virtute, & efficacia Corporis, & Sanguinis Christi plenam, ac fecundam, non vero ipsam Corporis, & Sanguinis Christi substantiam continentem, hoc argumentum ad hominem non impugnavissent Iconomachos: Si imago corporis est, non potest esse hoc divinum Corpus. En igitur Patres, & Concilia primorum octo Saeculorum testes nostrae veritatis,

tatis, donec nono Sæculo novum istud, scilicet, & horrendum transsubstantiationis dogma, ut ajunt Novatores, in Ecclesiam induceretur. En in hoc Concilio consignatum Christi, Apostolorum, & omnium præcedentium, quos adduximus, Patrum, circa verba institutionis Eucharistia, sensum. Nunc ad consensum Græcæ, aliarumque Ecclesiarum cum Ecclesia Romana, circa hoc augustissimum Sacramentum, procedamus.

249. Et primo Ecclesia Græca, quamvis æterogant à Latina diro schismate sejuncta, in transsubstantiationis tamen dogmate tam arte illi jungitur, ut communi odio contraria dogmata execretur. Hujus rei testis est Jeremias Patriarcha CP. In *ensura Confectionis Augustana*, ubi ita habet: *Statuit Ecclesia Catholica, quod consecratione facta, panis mutatur in ipsum Corpus Christi, & vinum in ipsum Sanguinem, panis videlicet fermentatus, non infermentatus.* Hæc ille. Qui postea Novatoribus nostri temporis objicit, quod circa hunc articulum corruerint Scripturas, sint homines incurabiles, qui constantes Ecclesie Traditiones rejecerint. Testis est Synodus Leucosienfis, quæ alta voce protestatur J. C. esse adorandum in Eucharistia, & hanc esse fidem quatuor Patriarcharum, CP., Alexandrini, Antiocheni, Jerosolymitani: hoc credere Moschovitas, Bulgarum, Serviam, Mysiam superiorem, & inferiorem, Arabes, & Ægyptios cum Græcis unitos.

250. II. Aliæ sectæ Orientis, à Latina, & Catholica Ecclesia à primis sæculis separata, nihilominus in hoc dogmate conspirant. Testis est Patriarcha Jacobitarum, qui in instrumento authentico contra nostros Sæcatorios ita profitetur: *Nos adoramus cultor Latriæ J. C. in Eucharistia absconditum.* Testis est Patriarcha Nestorianorum, qui contra eosdem eandem professionem fidei emisit, in qua hæc formalia habentur: *Firmiter credimus, quod per verba J. C. quæ Sacerdos pro-*

nuntiat, autoritate de cælo accepta, substantia panis convertitur in Corpus D. N. J. C. & substantia vini in ejus Sanguinem pretiosum, ut nil remaneat de pane & vino, præter accidentia unius & alterius. De quibus omnibus videatur doctissimus le Brun tom. 3. pag. 428. & seqq. Idem sentiunt Christiani Indici, qui S. Thomæ vocantur, in sua Liturgia. Idem Copti, & Æthiopes, ut constat ex Damiano Goez in Fragmentis Liturgiæ Copticæ ab eo relatis.

251. Jam si hæc, quæ in rem nostram allata sunt, aliquis sui potens, & à præjudiciis liber expendat, poteritne cum Novatoribus sentire, dogma *transsubstantiationis* esse novum, sæculo IX. à Paschasio Radberto inventum, & à Romanis Pontificibus in Ecclesiam inductum? Hem dic fodes! si veritas, & ex illa dependens tua salus, tibi cordi est, dic quælo, qui fieri potuit, ut Ecclesia Græca, aliaque sectæ tam diro, tamque antiquo schismate sejunctæ ab Ecclesia Romana, in *transsubstantiationis* dogmate cum illa fiat adeo unanimes usque in præsentem diem, si Patres citati, & cum illis Ecclesia per omnia Christianæ æræ sæcula idem non sensit, & hanc fidem de generatione in generationem non propagavit? Si enim Patrum Traditio causa est, cur Græca Ecclesia in materia rituum tam in Missa, quam in administratione Sacramentorum adeo diversa est à Romana: cur eadem traditio causa non est, quod super præsentem dogmate tam arte conveniant? Dic, quomodo *transsubstantiationis* error, ut dicis, tam inadvvertenter, tamque quiete in Romanam, Græcam, aliaque Orientis Ecclesias irrepit, ut nulla non tantum ab illis non manserit immunitas, sed nec una quidem contra eundem multisaverit? Dic quomodo propositiones Cyrilli utriusque supra citatæ, & multæ aliæ, quas brevitas causa omnifinus, censuram Conciliorum CP. primi, Ephesini, & Chalcedonenfis effugerint, cum uterque tam aperte *transsubstantiationis*

tionis dogma profiteatur, ut nullus ambigendi remaneat locus, & anathematismi Cyrilli Alexandrini, ex quorum explanatione à Cyrillo facta locum illum retulimus, adeo illa tempestate exagitati fuerint? Hierine potuit, ut Ephesinos, & Chalcedonenfes Patres doctrina illa fugisset, si cum Calvino sensissent? Dic ulterius, quomodo Synodus septima negaverit Eucharistiam esse typum, seu imaginem Christi, & Basilium, aliosque Patres, illam typum dicentes, explicaverit: eos illam ita vocasse ante consecrationem, si in *transsubstantiationis* dogma non consensit? Dic tandem, si hoc dogma sæculo IX. in Ecclesiam Latinam irrepit, cur sæculo XI. Michaël Cæularius Græci Schismatis cum Ecclesia Romana instaurator, qui Berengarii contrarium sentientis toties factam condemnationem ignorare non potuit, eidem crimen idololatriæ non objecerit? Eodem ergo invicto fundamento, quo Patres Nicæni suo Symbolo addiderunt vocem *homousion*, Patres Lateranenses fidei suæ *transsubstantiationis* vocem inseruerunt.

Protestantium momenta exploduntur.

252. Calviniani Ministri Albertinus, Claudius, la Roque, & Blondellus, tor testibus de perpetua Ecclesie fide circa transsubstantiationis dogma obruti, & utriusque Ecclesie consensu circa eundem articulum exagitati, videntes rem hocce argumento decretorie agi, cum consensum Ecclesiarum negare non possent, incredibili labore nisi sunt Patres in suam partem trahere, ut hoc præstito, utramque Ecclesiam erroris liberius accusarent. In hunc finem bifariam processerunt, & primo allatos à Catholicis textus explicare, & in suum sensum trahere conati sunt. Secundo loca ex ipsis Patribus sensui figurato specie tenus faventia Catholicis objecerunt. Quam feliciter autem hoc posterius præstiterint, jam videbimus; suc-

cincte tamen, cum utrumque luculentissime jam exploderint doctissimi Arnaldus, Bellarminus, Petronius, Costellus, Natalis Alexander, & alii Pœnemi Catholici. Itaque

253. I. Valde jactant illum locum Tertulliani, qui sæculo secundo floruit, & l. 4. contra Marcionem c. 40. ita scribit: *Acceptum Panem, & distributum Discipulis, Corpus illum suum fecit, hoc est Corpus meum dicendo, id est, figura Corporis mei.*

254. Resp. nostri, Tertullianum hoc loco ita intelligendum esse, ut verba illa, *id est, figura corporis mei* non ad prædicatum, quod est corpus; sed ad subiectum, quod est pronomen hoc, referantur: quod quidem panis demonstrativum est, non namentis, sed in substantiam Christi Corporis transeuntis: unde hæc verba: *Hoc est Corpus meum, id est, figura corporis mei*, per hyperbaton à Tertulliano dicta esse recte contendunt; cum novum non sit apud hunc Patrem inveniri hyperbaton, ut cum libro contra Praxeam cap. 29. ait: *Christus mortuus est, id est, unctus*, ubi pariter *ly unctus* non refertur ad prædicatum, sed ad subiectum; sed omnes Eraditi, etiam heterodoxi, noverunt, Tertullianum hyperbatis abundare. Hunc autem, quem explicavimus, esse Tertulliani l. cit. sensum, demonstrat ejus scopus, nam ibi convincere intendit Marcionitas, afferentes legem à malo Deo datam ad hoc autem venisse Christum, boni Dei filium, ut ipsam penitus abrogaret. Quamobrem contra ipsos probat Tertullianus, Christum non venisse, ut legem solveret, sed ut adimpleret, umbram transferendo in corpus, & figuram in veritatem. Id ex eo maxime probat, quod Christus in novo Testamento id suum effecit corpus, quod in veteri Testamento erat figura corporis sui: *Acceptum panem, & distributum, corpus suum fecit dicendo: Hoc est Corpus meum, id est, figura Corporis mei.* Quasi diceret: *Hoc, id est, hic panis, qui secun-*

Secundum vetus Testamentum est figura Corporis mei, est jam Corpus meum.

255. Quamvis & alio sensu non minus naturali, & commodo laudata verba Tertulliani exponi possint; ut scilicet Sacramentum Eucharistiae inadæquate spectatum, secundum externam sui speciem, non adæquate, secundum id, quod in eo internum est, præcipuum & invisibile, figuram Corporis Christi vocaverit, non inanem & vacuam, sed plenam. Quod constat tum ex ejus libro de resurrectione carnis, ubi habet, *caro Corpore & Sanguine Christi vestitur, ut anima de Deo saginetur*; tum aliis ex locis, quos Controversistæ nostri referunt, in quibus transubstantiationis dogma aperte profertur.

256. Instant. Idem Tertullianus l. 1. contra Marcionem c. 14. scripsit de Christo: *Pane ipsum Corpus suum representat*: ergo sentit panem Eucharisticum esse meram, & inanem figuram Corporis Christi.

Resp. in Verbo *representare* latere æquivocationem: idem enim est, ac rem aliquam præsentem facere, sive re ipsa, sive in signo tantum sit præsens. Unde oramus in Missa pro defunctis, ut *Archangelus Michael representet animas in lucem sanctam*: id est, ut Deo sitat, & re ipsa præsentem exhibeat. Et iterum Minus representat v. g. Julium Cæsarem in posteriori sensu. Cum ergo Tertullianus verbum *representare* in priori sensu sæpe usurpaverit, uti l. de oratione cap. 5. ubi ait: *Regni dominici representationem postulare*; id est, adventum, & præsentiam regni cælestis, & alibi sæpe, cur eum hoc loco idem verbum in eodem sensu accepisse dubitabimus, cum alibi realem Christi præsentiam aperte asserat?

257. II. Obijciunt quædam loca ex Origene, qui circa a. c. 236. floruit, quorum primum, & celeberrimum occurrit tom. 2. in *Matth. pag. 253.* Hæstianæ editionis, in quo sequentes tres propositiones contineri ajunt, quæ realis præsentiae Corporis Christi, & transubstantia-

tionis fidem vehementer pulsant. Primo, quod neque abstinendo ab hoc pane, aliquo bono fraudamur, nec eundem comedendo, aliquo bono augeremur. Secundo, quod panis consecratus, secundum quod materia constat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur, vulgarij inftar ciborum. Tertio, quod panis ille typicum, & symbolicum Christi Corpus est.

258. Resp. Concedendo has tres propositiones in amplo Origene textu l. cit. haberi: sed nego illas causam Sacramentarium quidquam juvare. Primæ enim propositionis sensus est, Corpus Christi non ex se solum, & simpliciter edenti sanctitatem conferre, sed si in suscipiente certa fides, & purus animus adhibeatur. *Qui enim indignè manducat, judicium sibi manducat.* Similiter homo hoc abstinens Sacramento, quia sibi nondum satis probatus, vel alicujus noxæ lethalis sibi conscius est, bono aliquo non privatur, imo magnum in se accesseret malum, si eo in statu positus sumeret Corpus Christi. Secundæ propositionis sensus est, accidentia, quæ ex materia panis supersunt, & ipsius sunt propria, corrupta à stomacho, in secessum abire; orationem vero super panem prolatam, id est, mystica verba, quibus panis consecratur, illum comedentibus utilem efficere, transmutando utique illum in Corpus Christi. Tertiz denique propositionis sensus est, Corpus Christi in Eucharistia typo & specie panis esse involutum, non vero nudum; & propterea typicum, & symbolicum ab Origene appellatum, quod sub specie & symbolo panis desitescat. Vel Eucharisticum panem vocat corpus typicum, & symbolicum, non quod corporis absentis sit typus & symbolum, ut Heterodoxi contendunt: sed quia, eam re ipsa sit Corpus Christi, aliarum rerum typus & symbolum est, puta sui ipsius extra Sacramentum, ut fuit olim in Cruce, & nunc est in Cælo: vel resurrectionis nostræ; vel mystici corporis, quod est Ecclesia. Vel denique panis, & vinum

vinum ante consecrationem est typus Corporis Christi post consecrationem, vel species ipsæ consecrate sunt typus, & figura illius non vacua, sed plena; quæ etiam tum à Patribus, tum à nobis Panis, & Vinum vocantur, eo quod horum similitudinem sensibus exhibeant. Et hæc est clavis, qua omnes Heterodoxorum secretissima latibula aperiantur; cum enim mirabile hoc Sacramentum, præter realem Christi præsentiam, hæc omnia exhibeat, non mirum est, quod illud Patres in suis ad plebem sermonibus sæpe typum, figuram, panem appellent in sensu allegorico, cæteroquin transubstantiationis dogma, dum in sensu literali loquuntur, sustinentes, quemadmodum vidimus. Et præcipue Origenes, sicut in omnibus suis operibus, ita & hic in sensu allegorico abundans, in aliis locis, quos nobis ex ipso præterea obijciunt Hæretici, præfato modo explicandus est; cum & ipse, dum literaliter loquitur, transubstantiationis dogma aperte consteatur. Uti in *Homilia 13. in Exod.* ubi Auditorum ad retinendum corde verbum Dei adhortatur his verbis: *Volo vos admonere religionis vestra exemplis. Nostis, qui divinis Mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis Corpus Domini, cum omni cautela, & veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Et homil. 7. in Numeros,* ubi in veteri Lege figuras tantum, & ænigmata præcessisse earum rerum, quarum specie, & veritate in Lege nova fruimur, monstrare volens, ait: *Nunc in specie Petra Christus est: nunc enim ore ad os loquitur per legem Deus. Antea in ænigmatate fuit baptisimus in nube, & in mari nunc autem in specie regeneratio est in aqua, & Spiritu S. tunc in ænigmatate erat manna cibus: nunc autem in specie caro verbi Dei est verus cibus, sicut & ipse dicit: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus est potus.* En secundum Originem literaliter loquentem, in nova Lege

in specie seu in veritate Petram Christum, in specie, seu in veritate regenerationem, in specie seu in veritate *carnem* verbi Dei verum cibum. Et hæc ad illa, quæ nobis Heterodoxi ex duobus Patribus antiquissimis quidem, sed in die lapsis vel saltem suspectis obijciunt. Nunc quæ ex Catholicis obtrudunt ordine chronologico recensentur.

259. III. igitur obijciunt: Justinum l. cit. descripta consecratione, dicere, *Diaconos præsentij populo distribuere Panem, & Vinum, & Aquam*: ergo censet Panem, & Vinum, & Aquam, licet consecrata, in priori substantia manere.

Resp. Ex clavi N. 258. assignata, Sanctum Justinum panem, & vinum appellare, quod externa specie panis & vinum est. Modo enim loquendi utitur hominibus solemnibus, qui populares locutiones usurpant, cum sermonem habent de rebus subiectis, licet de his longe aliter sentiant quam vulgus. Aliter autem Justinum de Eucharistia sensisse supra N. 233. vidimus. Nec mirum, ipsum ita locutum fuisse, cum Paschasius, quem inventorem transubstantiationis garriverit Novatores, de Eucharistia scribat: *Mysterium hoc in pane celebratur — in eadem substantia — caro vel corpus in pane; & Ecclesia cum S. Thom. de facto canat: Panis Angelicus fit panis hominum, &c.* quia nempe Eucharistia ex pane confecta est; quemadmodum Deus dixit Adamo, *Terra es, quoniam ex terra eum fecerat.*

260. Nec obest primo, quod S. Justinus l. cit. dicat: *Nunc in communem panem, aut communem potum hæc sumimus*; nam licet hæc verba, si per se, & seorsim spectentur, non probent in Eucharistia panis, & vini substantiam non remanere, sicut verba Nysseni de Christi Bapt. *Ne contemnas divinum lavacrum, neque ut commune parvifacias*, non probant aquam in Baptismo transubstantiari; id tamen probant hæc verba, prout ab adjunctis l. cit. determinata, dum ita pergit:

Sed quemadmodum Verbum caro factum est, & carnem & sanguinem pro salute nostra habuit, — incarnati illius Jesu carnem, & sanguinem esse edocui sumus. Uique ab Apostolis, & eorum immediatis successoribus, cum vixerit circa medium Saeculi III.

261. Nec obest secundo, quod ibidem intrepidus Apologus interponat: *Ex qua (Eucharistia) sanguis, & caro nostra per mutationem aluntur*; quod de corpore Christi intelligi nequit, cum nec in se ipso mutetur, nec carnes nostras alendo mutet. Nam imprimis haec verba referri possunt ad species Sacramentales, quae vinu nutriendi servant. Secundo etiam ad ipsum Corpus, & Sanguinem Christi sub speciebus contentum, ut carnes nostras per immutationem ad gloriam, & immortalitatem alere intelligantur, cujus semen Eucharistia est. Adde, textum ipsum graecum sacrae illius esse in carnem, & sanguinem nostrum mutationem non induere, sed nostri mutationem in homines alteros; sic enim sonat ad verbum latine redditus: *Ex quibus sanguis, & carnes secundum mutationem aluntur nostri*.

262. IV. Obijciunt Irenaeum citatis locis asserere: *Carnem nostram corpore, & sanguine nutrir, ex iis augeri, & subsistere carnis nostrae substantiam, ex Sanguine Christi nostrum augeri sanguinem*: quae omnia non cohæreat cum transsubstantiationis dogmate.

Resp. ex clavi N. 250. assignata iisdem verbis, quibus responsum est ad locum ex Justino adductum N. praeced.

263. V. Obijciunt S. Cyprianum in Ep. 62. ad Caecilium, ex qua Catholici arma desumunt, sequentia scribere: *Cum dicat Christus, ego sum vitis vera, sanguis Christi non aqua est utique, sed vinum. Item: Vino Christi sanguis ostenditur. Item: Christus obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, Panem, & Vinum, suum scilicet Corpus, & Sanguinem. Quod falsum esset, si Christus non*

obtulerat Panem, & Vinum merum; non enim obtulisset id, quod Melchisedech obtulerat.

264. Resp. ad hujus male confuti centonis membrum primum, S. Cyprianum illinc asserere non aquam, sed vinum de vite esse materiam Sacramenti Eucharistiae. Ad secundum resp. eundem ibi velle vino, id est, speciebus, quae nomen illud remittunt, ut & qualitates omnes, ostendi Sanguinem Christi, non absentem, sed praesentem. Ad tertium denique dico, Christum idem obtulisse, quod Melchisedech, si materia Sacrificii, scilicet Panis & Vinum, & species utriusque, etiam post Consecrationem remanentes, spectentur; sed Panem, & Vinum ad alium usum adhibuisse, quia illa Corpus, & Sanguinem suum fecit, quorum Sacrificium ab oblatione Melchisedechi differt ceu veritas à figura, ut ait S. Hieronymus in c. 26. *Matthaei in cit. edit. tom. 4. pag. 128. Ut quomodo in praefiguratione Melchisedech summi Dei Sacerdos Panem, & Vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui Corporis, & Sanguinis representaret, id est, praesentem faceret.*

265. Praeterea alia duo loca ex eadem epistola nobis objici solita, in quorum primo dicit: *In aqua populum intelligi, in vino ostendi Sanguinem Christi*. In secundo vero probat, ideo non solum farinam, vel solum aquam posse esse Corpus Domini, sed utraque mixta, ut in Christo unum sciamus esse corpus, cui conjunctus fit noster numerus. Nam in primo loco loquitur de populo, & de Sanguine Christi quantum ad esse significatum per aquam, & vinum Domini Calicis; sed non quantum ad esse contentum in Calice Domini; ait enim bibi Sanguinem Domini, non ait bibi populum. In secundo vero designat materiam Corporis Christi, & relationem, quae inter ipsam & Corpus Domini, nec non populum Christianum intercedit. Ex quo non sequitur manere in Eucharistia substantiam panis, & vini post coale-

consecrationem; satis enim est, ut maneat species panis, & vini, sensusque afficiat, ut mens analogiam utriusque ad Corpus, & Sanguinem Christi cum naturale, tum mylticum cognoscat. Cum & nos, qui transsubstantiationis dogma certe propugnamus, Cypriani verbis populo mylticum hunc Eucharistiae sensum explicemus.

266. VI. Obijciunt locum Eusebii lib. 3. de Ecclesiastica Theologia adversus Marcellum Ancyranum c. 12. ubi explicans verba Christi Jo. 6. *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam*, ait: Christum docuisse illos spiritualiter intelligere, quae de carne sua, & sanguine dixerat: *Nolite putare, inquiens, carnem me dicere, quam circumfero, quasi illam edere oporteat: nec existimate me percipere sensibilem, & corporalem sanguinem bibere.*

267. Resp. Eusebium manducationem carnis Christi secundum vulgarem sensum verbi hujus manducare acceptionem duntaxat negare, quatenus scilicet manducari dicitur, quod teritur ac dividitur dentibus, palato gustatur, faucibus traicitur in stomachum atque digeritur; non vero sacramentalem veri Corporis Christi, sed sublimiori prorsus modo; hanc enim cum tota Ecclesia saeculo quarto professum esse constat tum ex lib. 6. hist. Eccl. cap. 43. Valesianae versionis, in quo etiam tangit illam tunc ubique communicantium vigentem consuetudinem, ut Sacerdos porrigens Eucharistiam diceret, *Corpus Christi, & communicans responderet, amen*; hoc est, *verum est*; tum ex loco ejusdem relato à S. Joanne Damasc. lib. 3. *Parallelorum c. 45. edit. Paris. de a. 1603. fol. 124. col. 2. ubi inquit: Multi peccatores cum Presbyteri sint, sacris operantur, nec Deus eos averfatur; verum per Spiritum S. proposita dona consecrat. At panis quidem pretiosus Domini Corpus efficitur, poculum autem pretiosum Domini Sanguis. Ubi non obiter advertas*

Missa Sacrificium tempore Eusebii in pleno vigore fuisse. Imo etiam Saeculo tertio, nam dum S. Cyprianus in cit. ad Caecilium ep. quadam miracula circa Eucharistiam narrat, bis, dicit, *mibi sacrificanti ea contingere.*

268. VII. Obijcienda, & solvenda ordine chronologico essent ea loca Cyrilli Hierosolymitani, quae conglomerat insolentissimus Calvinista Rivetus. Sed cum nemo fere ex Patribus dogma transsubstantiationis asserat apertius, quam hic Cyrillus, qui propterea ab omnibus fere Protestantibus calumniatur: cumque argutiola Riveti & nimis infulsa, ac vana sint, eas hic praetermitto, eo quod omnes ex clavi N. 258. assignata solvi possint. Videri nihilominus potest Natal. Alexand. Saec. 4. c. 6. §. 12. à N. 9.

269. VIII. Ergo obijciunt celeberrima locum Basilii M. desumptum ex ejus Liturgia: ubi Eucharistiam vocat *Antitypon, seu figuram, & typum Corporis Christi*.

Resp. S. Basilium, & alios Patres vocare Eucharistiam Antitypon Corporis Christi, spectando tempus consecrationem praecedens, & illa verba referendo ad statum donorum in Prothesi. Ita enim habet S. Basilium: *Confidentes S. Altari tuo appropinquamus, & propositis S. Corporis, & Sanguinis Christi tui antitypis te rogamus, &c.* Haec expositio est S. Damasceni lib. 4. *orthodoxae fidei c. 14. in cit. edit. fol. 179. col. 2. ubi ita habet: Quod si nonnulli panem, & vinum Corporis, & Sanguinis Domini dicerent, Corpus Christi, sed antequam oblatio ea consecraretur, hoc vocabulum usurpaverunt. Ita etiam S. Basilium exponit Epiphanius Diaconus, approbante Synodo septima generali, cujus verba N. 248. retulimus: habemus ergo mentem Basilii, & aliorum Patrum in Oecumenico Concilio declaratam.*

Quamquam Patres, etsi Eucharistiam post consecrationem typum simpliciter, vel typum Corporis Christi vocarent, verissime secundum clavam supra datam expli-

elementa vel de speciebus Eucharisticis, vel de ipso Corpore Christi, quod est typus futuræ gloriæ. Nam teste Damasceno l. cit. *Anitypa futurorum dicimus, non quod non sint vere Corpus, & Sanguis, sed quia per ipsa divinitatis Christi nunc sumus conjuncti: tunc autem intellectuali ratione per solam rationem percipiemus.*

270. IX. Exultabundi jactant locum S. Chryostomi ex Ep. ad Casarium Monachum contra Apollinarem, ubi ita habet: *Et Deus homo est Christus, Deus propter impassibilitatem, homo propter passionem, unus Filius, unus Dominus, unitarum naturarum unam Dominationem, unam Potestatem possidens, etiamsi non consubstantialiter existant; & unaquæque incommixta proprietatis conservat agnitionem propter hoc, quod inconsufa sint duo. Sicut enim antequam sacrificetur Panis, Panem nominamus, divina autem illum sanctificante gratia, mediante Sacerdote liberatus est quidem ab appellatione Panis, dignus autem habitus est Domini Corporis appellatione, etsi natura Panis in ipso permansit, & non duo corpora, sed unum Filii corpus prædicatur: sic & hic divina insidente corpori natura, unum Filium, unam personam utraque hæc fecerunt.*

271. Resp. Cujuscumque sit hæc Epistola, cum inter eruditos non conveniat eam esse Chryostomi: Auctorem, quando ait, *Naturâ Panis in ipso permansit*, per naturam non intelligere substantiam, sed proprietates, nature nomine sapissime designatas. Agit nempe contra Apollinaristas, qui naturam humanam Christi suas omnes proprietates amississe, nec amplius esse visibilem, palpabilem, ac circumscriptam desiderabant, nec speciem suam conservare, nec in divinam naturam fuisse transmutatam. Christum itaque adhuc esse visibilem, palpabilem, ac circumscriptum, & ceteras humani corporis proprietates servare contendebat. Quod ut probaret, exemplum adhibuit Eucharistiæ, in qua

symbola post consecrationem videri, & palpari possunt, sicut prius, aliaque panis, ac vini proprietates servant: quæ proprietatum collectio naturæ nomine à veteribus significatur.

Quod autem eandem naturam indivisam panis post consecrationem superesse S. Chryostomus, vel quisquis eius laudatæ epistola auctor, non senserit, constat ex eo, quod ait: *Et non duo corpora, sed unum Filii corpus prædicatur; id est, panis consecratus, & naturale Corpus Christi unum, & idem corpus est.* Quod alia ratione verum esse non potest, nisi quia panis transmutatus est in Corpus Christi, ut multis in locis docet S. Chryostomus. *Quemadmodum autem calumniantium hæreticorum est, ex dubiis, & obscuris, quæ certa, & manifesta sunt, male interpretari; ita solitum prudentia, ac veritatis Catholica, ex indubitatis, atque evidentibus ambigua, & latentia declarare.* Aureum est estimatum *Facundi lib. 9.*

Aspiciant Heterodoxi Pavones non suos pedes, sed præter alia loca Chryostomi illum, in quo grex ejus optat videre in Eucharistia Christi calcamenta: & cauda in rotam turgescens sua sponte defluet. Sic enim hom. 60. ad popul. Antioch. eundem inducit loquentem: *Vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta?* cui respondet: *Ecce cum vides, ipsum tangis, ipsum manducas.* Legant & Græcorum confessionem in Concilio Florentino de transubstantiatione editam, quæ habetur apud Coletum tom. 18. pag. 539. & ambæ ipsi aures tinnient. Sic autem profitentur: *Et quoniam ab omnibus sanctis Doctoribus Ecclesiæ, præsertim ab illo Beatissimo Joanne Chryostomo, qui nobis notissimus est, audivimus verba Domini: esse illa, quæ mutant, & transubstantiant Panem, & Vinum in Corpus Christi & Sanguinem, & quod illa verba divina Salvatoris omnem virtutem transubstantiationis habent; nos ipsum Sanctissimum Doctorem, & illius sententiam*

sequi-

sequimur de necessitate, de hac questione breviter diximus & sufficienter, & vestram beatitudinem de nostra intentione certam reddimus. Arnoldus Notarius. His verbis calumniam, quasi de Eucharistia aliter sentirent, propulerunt Græci. En citharam Protestantium in luctum verfam.

272. X. Obiciunt S. Ambrosium l. 4. de Sacramentis c. 4. ita scribentem: *Si tanta vis in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur? non autem intelligit panem remanere, quod erat juxta qualitatem, videlicet panem simplicem, & communem: intelligit ergo remanere juxta substantiam.*

273. Resp. I. Lanfrancum, cui idem argumentum à Berengario fuerat objectum, monere, in quibusdam codicibus laudatam S. Ambrosii sententiam aliis verbis sic legi: *Si igitur tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud commutentur? quæ sententia, hoc modo lecta, similis est illi, quæ legitur c. 9. lib. de his, qui mysteriis inistantur, in cit. edit. tom. 4. pag. 350. & ita sonat: Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare, quod non erant? quæ, sicut & priori, si ita sonat, sensus figuratus profus eliminatur.*

274. Resp. II. cum eodem Lanfranco lib. de Corpore, & Sanguine Domini c. 9. Testari quidem Ambrosium, esse in Eucharistia secundum visibilem speciem, quæ erant, commutari autem secundum interiore essentiam in naturam, quæ antea non erant. Et quæso te, ecce prorsus, atque oblatinissime adversari: cur Ecclesiæ Doctor citato loco creationem totius universi in genere, & cæli, ac terre, marium, & fluminum in specie adduxit, ut probet Deum potuisse constitue-

re panem figuram Corporis sui, si tremendum transubstantiationis dogma nobiscum non propugnavit? cum qualibet pincerna possit constitutere ramos aliquos arboris signum venalis vini.

275. Nihilominus instat Albertinus Calvinista, Ambrosium, ut illustraret, quod dixerat, nempe *ly ut sint, quæ erant, & in aliud commutentur*, adducere exemplum mutationis accidentalis, nempe mutationem hominis è veteri in novam creaturam: ergo manifeste sentit, in Eucharistia post verba consecrationis tantum fieri mutationem accidentalem panis communis in figuram Corporis Christi.

276. Sed jam tædet respondere: solvat novator prius illa, quæ mox adduximus, quæque mentem Ambrosii circa Eucharistiam clare patefaciunt. Ut Angelus B. M. V. persuaderet, fieri posse, ut line viri complexu Deum Hominem conciperet, paritatem adhibuit de sterili fecundata, à minori ad majus certe argumentatus. Ut Ambrosius possibiliter transubstantiationis monstraret, exemplo baptismi etiam usus est, exemplis creationis ex nihilo non prætermisiss. Quare catena aliarum replicarum ejusdem Albertini ex eodem Ambrosio prætereo, quæ partim ex jam dictis, partim ex clavi N. 258. assignata nullo negotio solvantur. Cum lacrymas normis ejus ad se & alios perdendos labor mereatur potius, quam refutationem.

277. XI. Obiciunt testimonium S. Hieronymi in ep. ad Hedibian, in qua respondens ad questionem ab ea propositam, quid sibi vellent hæc Domini verba: *Dico vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, quo bibam illud novum vobiscum in regno Patris mei?* ait: *Ex hoc loco quidam mille annorum fabulam struunt, in quibus Christum regnaturum corporaliter esse contendunt, & bibiturum vinum, quod ex illo tempore usque ad consummationem mundi non biberit, &c.* Ex quo sic argumentatur Albertinus. Patres millenarii, Papias,

Irenæus, Tertullianus, Iustinus Martyr, & alii non parvi nominis contendebant Christum tempore millenarii de novo bibitarum de eodem genimine vitis, de quo in Eucharistia communione biberat; sed non autumabant illum hoc tempore bibitarum proprium sanguinem: ergo neque in Eucharistia communione eundem potavit. Et subdit Thrafo: *Nodus hic Gordio strictior.*

278. Resp. Nodum hunc Gordium Albertini putidum esse sophisma, fundatum in arena æquivocationis hujus nominis *genimen vitis*, seu *vinum*. Cum enim de Eucharistia loquebantur Patres memorati, genimen vitis pro *apparenti* usurpabant; liquidem erant de transmutatione vini in Christi Sanguinem plane persuasi, ut patet ex aliquorum adductis textibus: cum vero de vino loquebantur, quod in regno millenario bibiturus erat Christus, genimen vitis sumebant pro *vino proprie dicto*. Nec enim magis repugnat, ut in eadem sententia Domini genimen vitis pro vino apparenti in priori parte sit acceptum à Patribus nominatis, in altera vero pro vino proprie dicto; quam ut à Christo ipso sit acceptum in priori parte allati textus pro vino reali, in posteriori pro metapharico, id est, pro *torrente voluptatis*; quo beati inebriabuntur ab ubertate domus Dei. Qiam interpretationem, quæ Maldonati, & Janseii est, probat Albertinus. Quod vero S. Hieronymus fœsusit vinum Eucharisticum esse ipsum Sanguinem Christi, probant sequentia ipsius verba in ep. laudata, *quæst. 2. cit. edit. tom. 4. pag. 171. in qua desumpta est objectio: Nos autem, inquit, audiamus Panem, quem fregit Dominus; deditque Discipulis suis, esse Corpus Domini Salvatoris — & Vinum, quod Discipulis dedit, Sanguis illius est novi Testamenti, &c.*

279. Instant Novatores obijciendo aliqua loca ex eodem S. Patre, in quibus docet, impios, infideles, & hæreticos non manducare Corpus Christi, nec ejus San-

guinem bibere, uti constat ex ejus *Comment. in c. 66. Isaia & c. 22. Jeremia, & in Osee cap. 8. ergo evidenter sequitur, eum nullo modo censuisse Corpus, & Sanguinem Domini sub accidentibus panis, & vini in Eucharistia latere: nam si ita foret, impii, & infideles illa comederent, & biberent.*

280. Resp. S. Hier. non negare, quod impii, & infideles Corpus, & Sanguinem Christi sacramentaliter, & corporaliter manducant, & bibant; sed solum quod manducant, & bibant spiritaliter, & utiliter ad vitam eternam, quia indignè manducant, & bibunt. Negat enim eos ita manducare Corpus Christi, ut *sint ipsi Corpus Christi*, gratiam videlicet recipiendo. Aliquo igitur modo iusti Corpus Christi manducant, & bibunt, quo non manducant, nec bibunt impii. Unde si ad illum modum restringatur manducatio Corporis Christi, negari potest, quod impii, & infideles illud manducant. Hocque sensu ll. cc. S. Hieronymus negat voluptatis amatores comedere carnem Jesu, qui tamen alibi verbis disertis asserit illos comedere sacramentaliter. Sic enim in c. 1. *Malach. edit. cit. tom. 3. pag. 1811. Polluimus, inquit, Panem, id est, Corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, & sordidi mandum Sanguinem bibimus, & dicimus: Mensa Domini despecta est. Eodem modo solvuntur testimonia Origenis, & Augustini, quæ Albertinus, & Mathæus la Roque ad nauseam plane recoquant. Cum enim mirabile hoc Sacramentum præter hoc, quod Corpus, & Sanguinem Christi realiter continet, sit, & de facto vocetur *Sacramentum, typus, symbolum, imago, similitudo, mysterium*, cum præterea de illo varia, & admiranda in sensu morali, allegorico, & anagogico dici possint, &c. Patresque hæc omnia fidei populo in suis tum sermonibus, tum commentariis fœdicialiter explicaverint, hi nequissimi homines eorum sententias turpissime abutentes, illos in suas par-*

partes trahere conantur: non obstante, quod, dum in sensu literali loquuntur, Catholicam Fidem Sole clarius profiteantur, ut monstratum est, idque consensus omnium Ecclesiarum, ab illorum traditione utique derivatus, demonstret. Quo nequissimo consilio omnino ingentes tomos conscribunt, & sophismatum fucis simplices fallunt, doctis vero negotium facessunt, in resistendis verborum lusibus typum lacessendi.

281. XII. Obijciunt ex Theodoret *dialogo primo*, qui *Inmutabilis* inscribitur, sequentia: *Christus visibilia symbola Corporis, & Sanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans, sed naturam gratiam addens. Item hunc locum ex dialogo 11. ubi Eranistes ex mutatione Symbolorum in Corpus, & Sanguinem Christi colligit mutationem Corporis Christi post ascensionem in Divinam substantiam, his verbis: Sicut ergo symbola Domini Corporis, & Sanguinis alia sunt ante Sacerdotis invocationem, post invocationem vero mutantur, & alia sunt; ita Dominicum Corpus post ascensionem in Divinam substantiam mutatum est. Cui respondet Orthodoxus: Retibus, quæ ipse texuisti, captus es. Neque enim symbola mystica post sanctificationem suam recedunt à sua natura. Manent enim in priori substantia, & figura, & forma, & videri tangique possunt, sicut & prius: ergo Theodoretus sub nomine Orthodoxi ibi disputans manifeste sentit in Eucharistia non fieri transubstantiationem.*

282. Respondent Catholici Theologi, substantiæ & formæ nomina analogæ esse, & ad rei cujuslibet significandam essentiam usurpari, sive illa proprie substantia sit, sive accidens. Nam & accidentia essentiam suam habent; & facultates, proprietatesque naturales rei substantiæ nomine plerumque significantur. Et ita locis allatis Theodoretus *natura, & substantiæ* nomina usurpavit, cum dixit: *Symbolorum* (id est, accidentium) *naturam*

non mutari, ea non recedere à sua natura, & manere in priori substantia, & forma, & figura. Id verba immediate subsequenter demonstrant: *Et videri, & tangi possunt sicut prius.* Hæc enim aperte referuntur ad qualitates, & accidentia, non ad substantiam, quæ per se, & immediate nec videri, nec tangi potest juxta veterum Græcorum sententiam, in qua fuit Theodoretus.

283. Instant Calviniani Ministri. Orthodoxus ex comparatione Eucharistiæ colligit, in Christo post unionem non tantum formam, & figuram, sed ipsam Corporis Christi substantiam esse superflitem; non potuisset autem illud recte inferre, nisi supponuisset in Eucharistia non tantum formam, & figuram panis, sed etiam ipsam panis substantiam remanere. Itaque Theodoretus, Orthodoxi nomine contra Eranistem disputans, sensit remanere substantiam panis.

284. Respondent Orthodoxi Catholici Dist. mi. non potuisset illud inferre immediate, C. mediate, N. Explicatur responsio: Eutichianus Eranistes Eucharistiæ exemplo usus fuerat, ut probaret substantiam humanitatis in Christo post unionem, aut saltem post ascensionem in substantiam Divinitatis conversam fuisse. Orthodoxus sic argumentum retorquet: In Eucharistia non est tantum Corpus Christi, sed etiam accidentia panis, & vini superfluit: igitur in Christo post unionem, vel ascensionem non tantum esse divinitas, sed etiam proprietates, & accidentia humanitatis: ac proinde ipsa natura humanæ substantia, quæ ibi debet esse, ubi proprietates sunt. Quæ ergo magis stringebat Eutichianus hæc argumentatio, quod inter proprietates naturales, & substantiam Corporis Christi discrimen nullum faceret, & manentibus proprietatibus, naturam ipsam manere fateretur.

Contemni non debet, quod circa huic Theodoret locum observat Perronius, græca videlicet Theodoretæ verba sic melius red-

reddi: Manent enim in prioris substantiæ & forma, & figura.

Cæterum quantum Lutheranorum errori contra fidem transubstantiationis incommoda fit Theodoretæ doctrina, non tantum ex ejus commentariis in ep. ad Corinth. c. 11. sed etiam ex dialogo 2. agnoverunt Centuriatores Magdeburgenses Centur. 5. c. 10. ubi ita scribunt: De Cæna periculose dicit: Symbola Corporis, & Sanguinis Domini, post invocationem Sacerdotis mutari, & alia fieri.

285. Sed quid isti non Eranistes, sed erratici Sophistæ ratiunculis suis nos gratis fatigant? legant ipsum dialogum, ex quo hæc obijciunt, relatum in cit. edit. tom. 1. pag. 214. & videbunt Theodoretum, qui Orthodoxi partes ibidem sustinet, alta voce profiteri transubstantiationis dogma. Postquam enim ibi Eranistes Orthodoxo admisisset, symbola Eucharistica esse symbola veri Corporis, & Sanguinis Domini; & exinde Orthodoxus intulisset: ergo Christus post unionem, vel post ascensionem habet verum Corpus, & Sanguinem; Eranistes ex Eucharistia pariter argumentum arripit: Opportune, dicens, de divinis mysteriis intulisti sermonem. Nam inde tibi ostendam Corpus Domini in aliam mutari naturam: Responde igitur ad mea interrogata. Orthodoxus. Respondebo. Eranistes: Qui appellas donum, quod offertur, ante Sacerdotis invocationem? Orthodoxus: Aperte dicendum non est, verisimile est enim adesse aliquos mysteriis non initiatos. Eranistes: Respondeatur ænigmatische. Orthodoxus: Cibum ex talibus seminibus (seu panem). Eranistes: Alterum vero Symbolum quomodo vocamus? Orthodoxus: Commune, & hoc nomen est, poculi speciem significans (id est, vinum). Eranistes: Post sanctificationem vero quomodo hæc appellas? Orthodoxus: Corpus Christi, & Sanguinem Christi. Eranistes: Et credis te Corpus Christi, & Sanguinem percipere? Orthodoxus: Ita credo. Eranistes sic colligit:

Sicut ergo symbola Domini Corporis, & Sanguinis alia sunt ante Sacerdotis invocationem, post invocationem vero mutantur, & alia sunt: ita Dominicum Corpus post ascensionem in divinam substantiam mutatum est. Quæ hæc, amabo, argumentatio ad hominem, si Orthodoxus transubstantiationis dogma non agnovisset? quomodoque Orthodoxus potuisset dicere: Ita credo me in communione recipere Corpus, & Sanguinem Domini? An, quæso, communicantes Calvinistæ ita responderent? Cum ergo in hoc mysterio Orthodoxus, & Eranistes crediderint transubstantiari panem, & vinum ex verbis institutionis, in incarnatione autem verbum tantum assumpsit naturam humanam, Orthodoxus ex eo, quod symbola panis, transubstantiatione ejusdem non obstante, remaneant: urget Eranistem, in Christo post assumptionem etiam remansisse accidentia, & proprietates naturæ humanæ, & consequenter naturam ipsam; cum nec incarnatione, nec ascensione transubstantiationem ejusdem inuunt.

Accedit, quod mos allatum Eranistis ratiocinium non tantum omni veri specie destitutum esset, sed ab insano capite profectum, & à Theodoro tamen non solum, si symbola per consecrationem solo nomine, figura, virtute (ut pretendunt Calvinistæ) non veri substantia mutarentur: hic enim sensus esset ratiocinii Eranistæ: Symbola Eucharistica nomine, figura, & virtute per consecrationem mutantur: ergo Dominicum Corpus post ascensionem in divinam substantiam realiter mutatum est. Quod tamen non solvisset Theodoretus, dicendo, symbola remanere in priori substantia, forma, & figura, si uterque Calvinianum stomachum habuisset; secundum hos enim in pane post consecrationem non manet idem figura, & virtute.

286. XIII. Obijciunt Calviniani, & Lutherani locum desumptum ex Gelassii Papæ I. libro de duabus in Christo naturis, quem

quem dicunt doctrinæ transubstantiationis dierte repugnare. Sed quidquid sit de hujus libri Authore, cum eodem modo, quo mox Theodoretus, Eutichianos, transubstantiationis dogma ad tuendum suum de unica in Christo natura errorem Catholicis ea tempestate identidem objectantes, refellat, dicendo: Certe Sacramenta, quæ sumimus Corporis, & Sanguinis Christi, divina res est; — & tamen esse non desinit substantia vel natura panis & vini: Eodem modo, quo ibi explicari potest; illum nempe, sicut & alios veteres Scriptores tam stricte nomen substantiæ non usurpasse, quemadmodum modo à Scholasticis sumitur, ut scilicet significet rem per se subsistentem, & accidenti oppositam: sed vocis illius significationem ad ipsa accidentia per analogiam quandam extendisse, ut res omnis substantia dicatur, quatenus distinguitur à nihilo. Quo sensu S. Aug. enarr. 1. in Psal. 68. scribit: Quod nulla substantia est, nihil omnino est; substantia ergo aliquid esse est.

287. Respondent tamen præterea Catholici, morem esse solemnem veteribus Scripturibus Latinis alimentum substantiæ nomine significare. Hoc sensu apud S. Augustinum, serm. 5. de natali Domini, hæc verba ad Deiparam Virginem diriguntur: Lacta Maria Creatorem tuum, lacta panem Cali, pretium mundi, postremo ut Mater temporalem illi ministra substantiam. Cur ergo dici jure merito non possit, Gelasium, dum dixit panis & vini substantiam non desinere, per hoc nihil aliud voluisse, quam non desinere alimentum, & facultatem nutriendi, quæ panis & vino natura inerat: cum alio sensu explicari citatus locus non possit, nisi pugnantia loqui Gelasium, vel alium Authorem supponamus; dicit enim præterea loc. cit. quod panis & vinum in divinam transeunt, Spiritu S. perficente, substantiam; permanent tamen in sua proprietate natura; & in divinam enim substantiam dona

propolita transire non possunt, nisi panis & vini substantia esse desinant; omnis enim transitus inter duos terminos versatur, quorum deseritur unus, alter acquiritur, secundum rectam Philosophiam. Cum itaque secundum Gelasium seu alium illum Authorem, Sacramenta seu symbola transeant in divinam substantiam, necesse est, ut terrenæ desinat esse substantiæ, & consequenter verba Gelassii intelligenda sunt modo explicato, ne contradictionem cum posterioribus incurrant.

Neque enim verisimilis est Calvinistarum responsio, Sacramenta dici in divinam transire substantiam, quia divinæ substantiæ mystica significatione junguntur. Nemo enim fuit unquam tam absurdus, ut signa in eorum, quæ significant, naturam aut substantiam transire affirmaverit. Quis enim dicit Agnum Paschalem in Christum converti? Eademque absurditate in sensu impanatorum panis transire diceretur in divinam substantiam; quod enim manet, non transiit.

288. Addo ego: Heterodoxos, dum ex his duobus Patribus Catholicos exagitant, magis verba illorum, quam sensum nobis objicere, imo his objectionibus, quin percipiant, confirmare, Ecclesiam tam Catholicam, quam Eutichianam in transubstantiationis dogmate sæculo V. convenisse. Car enim, amabo, Eutichiani paritate Eucharistiæ toties objecissent Catholicis, nisi persuasi fuissent, eos in hoc puncto secum sentire? & cur Catholici, omisissis operosis illis responsonibus, eos potius non retudissent, negando assumptum, quod panis & vinum in Eucharistia mutantur in Corpus & Sanguinem Christi, si cum Calvinistis senserunt?

289. XIV. Obijciunt autoritatem S. Augustini, desumptam ex tract. 26. in Jo. quo solam spirituales manducationem ab ipso agnoscere evincere se putant: Hujus rei (id est, Christianæ societatis) Sacramentum — glicubi quotidie, alicubi certis in-